



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XLVIII. Nominatur Prouinciæ Toletanæ Præpositus Prouincialis, ad quam se singulari modo præparat, variaque sensa experitur

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

dant; & agant secum tanquam stulti & ignari, ut
 euadant perfecte sapientes in scientia spiritus,
 quæ dat esse vitam & robur Scholasticæ. Quod si
 vel unum annum cum diligentia ponant in hac
 spiritus facultate: hic sufficiet, ad reddendos i-
 psos contentos, & ad proficiendum in tota vita;
 & ut ipsorum labores erga proximos splendorem
 suum habeant, & utiles fructus proferant, ad ma-
 iorem Dei gloriam, suæque Religionis & Eccle-
 siæ totius honorem.

CAPVT XLVIII.

NOMINATUR PROVINCIAE
*Toletanae Praepositus Provincialis, ad quæ
 se per exercitia preparat; in quibus in-
 gentia percipit sensa de Paupertate,
 contemptibus, ac Doloribus
 Christi Domini.*



VM Patri Nostro Generali in-
 notuisset, quàm exactè & utili-
 ter P. Balthassar Aragonicam
 Prouinciam visitasset, nec suc-
 cederet profectio eius, ut esset
 Prouincialis Peruanus, consti-
 tuit eum Anno 80. Prouinciale To-
 letanae Prouinciæ, ut omnes Hispaniæ Prouinciæ
 talis viri doctrina & spiritu fruerentur. Ostendit
 autem P. Generalis quanti illum faceret, cum ijs,
 qui ea de re cum ipso agebant, annueras, dixit do-
 vobis optimum quod habeo, pro vestra Prouin-
 cia, cum P. Balthassarem vobis assigno. Hoc nun-
 cio accepto in quadragesima, statim se recepit
 Na per

per aliquot septimanas ad spiritualia Exercitia
 facienda, vt diutius in oratione recollecta haere-
 ret, & à Deo impetraret id, quo indigebat ad tale
 onus ferendum, quod omnibus præcedentibus
 grauius indicabat. Et quasi præuideret, quadrage-
 simam illam fore sibi vltimam, & ipsum annum
 etiam vltimum vitæ suæ, & munus sibi iniun-
 ctum, extremum esse suorum laborum; ita cum
 maiori, quam vnquam antea feruore ad id se præ-
 parabat, exercens se, pro vt tempus illud exigeret,
 in contemplandis sacræ passionis mysterijs,
 vt in corde suo viam Iesu Christi crucifixi ima-
 ginem renouaret, cum tribus eius perpetuis com-
 mitibus, Paupertate, Contemptu, ac Dolore. Et
 quemadmodum de eisdem tempore Quadregesi-
 mæ alias solebat ad Nouitios exhortationes ha-
 bere, vt suprâ diximus: ita in hac, in qua profun-
 diora percepit sensa, feruentiores etiam habuit
 exhortationes circa illa verba, quæ Dauid no-
 mine ipsius Saluatoris dixit: *a pauper sum ego, &
 in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, im-
 miliatus sum & conturbatus*; in quibus verbis via
 proponitur, quam Christus Dominus Noster tota
 vita sua tenuit, quæ fuit Paupertatis, cruciatuum,
 & Contemptus, qui fuerunt semper eius indiui-
 diui comites: & quo ætate crescebat, eò magis se-
 riò illum comitabantur, ita vt & ipsi cum eius æ-
 tate crescerent vsque ad ipsam mortem, vbi ad
 summum, quod poterant, peruenerunt: & ita au-
 deo etiam dicere de sancto hoc viro, (qui ab ipsius
 inijs valde piè fuit tribus his Seruatoris nostri
 comitibus addictus, vt tertio capite supra ceppi-
 mus insinuare) quod quemadmodum ipse in æta-
 te sua crescebat, ita eius sensus & amor erga illos

a Psal. 87.
 16.

III
 12. 16.

augebatur : & in hac quadragesima, quæ fuit vltima, peruenerit ad summum quod potuit.

VI autem huius rei lumen aliquod habeamus, referam hic summatim, quæ tunc ipse de heroica Christi D. N. paupertate nobis proposuit, tres eius distinguens gradus, magnum, maiorem, & maximum siue perfectissimum : in quibus etiam continentur, contemptus & dolores, heroica humilitas, patientia, & resignatio, quam in eis ostendit. *Primus* Paupertatis gradus fuit, quo omnibus rebus huius mundi temporalibus earumque memoriæ, & affectibus, qui illas quasi vmbre corpora sequuntur renunciauit. Ita vt neque campos, neque agros, aut vineas, aut huiusmodi aliqua propria habuerit : neque id fuit, quod non posset ea habere; sed quod non voluerit. Quare ex omnibus rebus temporalibus huius mundi vsum tantum accepit, eumque valde parcè & solùm ad subueniendum extremæ vitæ corporalis necessitati, dans locum fami, siti, æstui, frigori, duritiæ, & asperitati; nulla vsus singularitate, aut exceptione, prospiciens sibi non de cibis aliisque rebus delicatis, sed communibus & crassioribus, quales, vbicunq; erat, inueniebantur; non habens domum, aut rem aliquam propriam, sed tanquam pauper & mendicus.

Secundus gradus fuit, Paupertatis amicorum & consanguineorum; familiaritatis cum magnis & potentibus; omnisque amicitie temporalis cum Regibus, viris eruditis, ac prælatis; & cum alijs, quorum respectu & intuitu ipsi parcerent, aut desinerent iniurias inferre, aut dicere. Potius nasci voluit ex matre paupere, & nutriti ac educari in domo pauperis cuiusdam

fabri; & pauperes habere discipulos; nec dedignabatur cum publicanis & peccatoribus agere, vt eos lucraretur, & ad bonam viam reduceret; & cum quibuscunque amicitiam aliquam contraheret, etiam cum propria matre, semper cor suum seruauit ita liberum, & expeditum ab omni proprietate: vt nullius intuitu omitteret facere, quod intelligeret magis gratum esse, magisque conforme aeterni sui Patris voluntati: hac ratione nos docens, vt exuti, & à creaturis omnibus auxiliu viuamus, & cum libertate spiritus creatori nostro seruiamus.

TERTIUS gradus fuit, quo se ipso ita sese exspoliauerit, vt ostenderet se pauperem in potentia, sapentia, sanctitate, dominio & libertate: cum tamen hæc esset occasio patiendi innumeros & grauissimos contemptus, iniurias & dolores: eò quod ab hominibus haberetur pauper, & his omnibus vacuus. Primum enim ostendit, se pauperem in potentia, cum esset omnipotens: nam & viuere & videri voluit in hoc mundo tanquam homo sine vlla potestate, imbecillis, & egenus: subiiciens se miseris infantia, defatigationibus itinerum, & reliquis humanis imbecillitatibus, quas omnes, excepta culpa, pro nobis suscepit. Subiecit se in sensibilibus Elementis, frigori, & stui, alijsque creaturis, potestatem occultans, quam in illas habebat, ita vt hominum iudicio nullam in illas haberet. Dedit autem potestatem spinis, vt sacrum ipsius caput penetrarent; funibus, vt ligarent; velo, vt tegeret; flagellis, crucibus, clavis, lanceæ, felli, & aceto, & reliquis passionis suæ instrumentis, vt ipsum cruciarent; Iudæis, vt

vt accusarent, ac blasphemarent, Iudicibus, vt condemnarent; carnificibus, vt flagellarent & crucifigerent; militibus, vt illuderent & iriderent; ipsi etiam Dæmoni, vt eum ex vno loco in alterum ex deserto deduceret, & per sua membra, hoc est, peccatores persequeretur; nec vlli horum restitit, quamuis vel vnico verbulo omnia potuisset auertere: nec tamen id voluit; sed ostendere se egenum talis potestatis, idque cum tanto sui contemptu: vt cum eius miracula indubitata facerent suæ omnipotentiae fidem; ea ipsa tamen pacto cum Dæmone inito tribuerentur.

S P O L I A V I T se quoque se ipso, ostendens se pauperem & indigentem sapientia: nam cum esset illa plenus, noluit tamen ingenio, & subtilitate scientiarum vti, nec eloquentia humana; sed ita sincere, ac simpliciter conuersari, vt à plurimis haberetur simplex, ignarus, & quasi non habens cerebrum; veritatem suæ doctrinae docuit verbis planis & simplicibus, volens eam virtutibus potius & miraculis confirmare, fugiens mundanum honorem sapientis, ad nostrum exemplū.

E O D E M modo renunciauit famæ suæ sanctitatis; ita sequens iustitiæ viam, vt à multis haberetur non sanctus, sed peccator & peccatorum amicus; deceptor, & blasphemus; Barabba deterior & latronibus ipsis, morteque dignus ad eum infami, qualis est crucis. Et quamuis potuisset hanc sanctitatis famam facile inter omnes obtinere, sibi que eam accipere, sicut eam dedit S. Iohanni Baptistæ, alijsque seruis suis: id tamen non fecit; sed ea voluit se spoliare, vt superbiam & hypocrisim nostram confunderet.

SPOLIAVIT se etiam dominio & principatu
 sibi debito, quem tanquam Rex Regum & Domi-
 nus Dominantium habere potuit, sed potius, cum
 turba vellet ipsum Regem facere, fugit ab eis; &
 obediuit potius ipse Regibus & Iudicibus etiam
 impiis & crudelibus in ijs, quæ ab ipso petebant;
 reddens eis etiam tributum; & eorundem iudicio
 se subiiciens vsque ad mortem. Pauperi quoque
 matri suæ, & S. Iosepho se subiecit, seruiens illis
 vsque ad annum trigessimum. Et inter paucos su-
 os discipulos non tanquam Dominum, sed tan-
 quam ministrum se gerebat, & tanquam aliquem
 famulum, eis seruientem, eorumque pedes lauan-
 tem. Ita enim dixit illis: quod non venisset mini-
 strari, sed ministrare: ut ad eius imitationem di-
 gnitates fugerent, subiectionem vero diligenter
 ac se in omnibus tanquam pauperes gererent. De-
 nique ita verbis, operibus, & prodigijs diuinita-
 tem & maiestatem suam simplicibus & humili-
 bus suis discipulis manifestauit; ut eandem ab-
 sconderet & occultaret potentibus & superbis,
 sapientiam & prudentiam sibi arrogantibus.
 Quamobrem opinionem de eo conceperunt ipsi
 veritati valde contrariam: qualis autem fuit opi-
 nio, ita etiam cum illo egerunt: cum ausi sunt
 temerè illum persequi, & grauissimis iniurijs &
 cruciatibus, ita malè multare, ut nullus vnquam
 fuerit hominum magis à suis hostibus contem-
 ptus, nec maiores dolores sustinuerit, quam ipse:
 qui infinito quodam amore, & ut illis beneface-
 ret, eosque ab æternis contemptibus, & cruciatibus
 liberaret, ea omnia sustinere voluit.

Hæc ratione meditabatur, & colloquebatur
 P. Balthassar de suprema continua, & perfectiss.

ma Saluatoris nostri paupertate, coniuncta cum excellentissima humilitate, & potentia in opprobrijs ac doloribus sustinendis, qui ex illa oriebantur. Et aliquoties audiui eum seorsim loquentem de tribus his Iesu Christi comitibus, cum tanto sensu & Spiritus feruore, vt obstupescerem, & accenderer desiderio feruorem illum imitandi, & curam, quam in sancta illa societate complectenda ponebat, vt Magistrū suum imitaretur. Et certo mihi persuadeo, Dominum Deum nostrum per huius Patris Orationes hanc mihi gratiam tunc fecisse, vt deceptionem meam in hac materia retexerem. Cum enim de iisdem tribus comitibus meditarer, tantamque difficultatem in diligendis opprobrijs, & contemptibus libenter admittendis sentirem, vt attēta mea imbecillitate, id quasi impossibile iudicaret: orans quodam die coram sanctissimo Sacramento, sensi repente quendam lucis radium, tanquam fulgur transeuntem, mihiq; ostendētem, valde possibile esse, contemptum & opprobria ita serio & cupido amare atque homines seculares honorē; meq; animauit, vt id quaererem, cum spe obtinendi. Et ad hoc punctum nominatim dirigebat P. Balthassar suarum rationū globos; quia aduertebat, Religiosos & nominatim studijs deditos, & ministerijs erga proximos occupatos ex nulla re tantum accipere detrimentum, quantum in ex inordinato amore honoris; quem sequitur etiam amor commoditatis temporalis: quem tamen illi pallio Religionis tegūt, sub prætextu cōsulendi bono nomini, quod ad eius & officij sui authoritatē multū refert: cum cōtrā in conculcando vano honore, & quod in ipsis est, diligēdo contēptu ex profunda sua humilitate

re, positum sit eorum augmentum & profectus; quemadmodum idem Pater expertus est in euentis supra positis.

CAPVT XLIX.

AD PERFECTIIONIS CVLMEN
in Dei amore per gradus suos peruenit; &
quas praecipuas virtutes ille in se com-
tineat: insinuantur interna ali-
qua eius sensa circa hunc
amorem.



VM AD VLTIMUM annum
& postremos felicitatis vitae P.
Balthassar's menses perueneri-
mus, operæ pretium erit, vlti-
mum etiam eius in spiritali vi-
ta perfectionis, quam profectus
est, proponere: procul dubio e-
nim per opera, exercitia, officia, & ministeria,
variosq; euentus, prosperos, & aduersos iam pro-
positos, quasi per gradus quosdam ascendit ipse
ad culmen perfectionis in omnibus virtutibus,
& amore Dei, quæ omnium est suprema, in quo
impletum est illud Dauidis: a *Beatus vir, cuius*
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo dispo-
suit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit. Etenim
benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in vir-
tutem: videbitur DEVS Deorum in Syon. Vir fuit ve-
re Beatus P. Balthassar, quem cœlestis legislator
præuenit in benedictionibus dulcedinis; tantaque
dedit